

/ Roberto Bellarmino S.R.E. Cardinali.

Ill/me et R/me Domine,

R.P. Gulielmi Bauters Soc. Jesu sacerdotis litterae me et fratrem Joannem plurimum hodie oblectarunt, quae singularem Ill/mi G.V. erga nos humillimos clientes suos affectum testarentur: pro quo debitum ei cultum interiori animi sensu hactenus reponimus; etsi diu intermissa scriptione, quam ad Ill/mae G.V. litteras (quas haubinde amplector) VIII Novembr. M.DC.XI. datas, forte debebam. Sed silentio Ill/mam G.V. versari malui, quam in publica Ecclesiae commoda peccare, si gravissimis occupatam negotiis, importuna aut minus necessaria rescriptione intellexerim. At modo recens ille, in dicti Patris litteris, benignissimi affectus vestri memoria ad scribendum excitat et ad gratias de Scl^aas coeli agendas, quam typis nostris excudendum offert, cui opusculo merito libenter vacabimus, et quodam autographo potius quam apographo impresso: sexaginta, aut quot distribuenda amicis suis volet, exempla suppeditaturi, atque alia in Urbem ad bibliopolas missuri quae isthic divendant.

Ad R.D. Antonium Gabutium, Congregationis S. Pauli Presbyterum, de missa S. Angeli Custodis ante menses aliquot scripsi, pro qua nonnulli nos urgent, et poenae accusant quod omittamus. Nam in Breviariis ipsum officium a S/mo D.N. approbatum jampridem adjunximus; at missam, etsi in Germania nuper editam (cujus item exemplum ad R.D. Gabutium misi) in Missali haud apponimus, donec S. Apostolicae Sedis judicio probare intelligamus. Ampliori Ill/ma G.V. beneficio nos obstrinxerit, si ipsius opera, Sanctitatis suae de Missa hac decretum, citius cognoscamus. De aliis, quae ad eundem D. Gabutium scripsi, in Breviario et Missali dubiis, ut haud magni forsani momenti sunt, ita nec impediri Ill/mam G.V. non velim. Vale, Ill/me Domine, magnum Ecclesiae catholicae column et decus: et obsequia cultumque, quae ego et frater qua decet modestia deferimus, pro insigni dignitate tua admitte. Antverpiae, in officina Plantiniana, XX Decembr. M.DC.XIV.